


D. O. M.

POSITIONES ANATOMICÆ

ET

CHIRURGICÆ.





OLIDIS & fluidis conflari corpus humanum nemo neſcit. Ex partibus ſolidis, aliæ molles, aliæ vero duræ ; duras ſeu Oſſa cæteris omnibus quaſi fundamentum & fulcrum præbentes, innumeris affici læſionibus conſtat, ex quibus non nullis, niſi Chirurgiæ præſidio protinùs debellarentur, brevi temporis ſpatio totius machinæ detrimentum enaſceretur.

Ex omnibus morbis oſſa afficientibus, alii contiguitatem, alii continuitatem lædunt ; Luxatio, Anchiloſis, Diſtortio, ligamentorum affectus & Diaſtaſis contiguitatem ; Fractura verò, Caries, Curvatura, Mollities, Exoſtoſis & Nodus continuitatem oſſis potiſſimùm ſauciare dicuntur.

UNUM ex his tanquam frequentiorem, fracturam ſcilicet, omnes inter eligendum nobis apparuit; cùm autem in longum nimis ſingularum protraheretur fracturarum deſcriptio, de cruris fracturâ tantùm modò ſolliciti, quid quid ad rem ſpectat attingemus.

QUATUOR in partes extremitatem inferiorem, in Femur ſcilicet, Genu, Crus & Pedem dividimus; at cùm præſertim de Crure hîc agendum incumbat, ipſius diviſionem, compoſitionem & ſtructuram, quantùm in nobis erit, exponere conabimur.

SOLUTAM à cauſâ quâlibet contundente oſſis continuitatem, cum authoribus fracturam appellamus.

FRACTURARUM ſpecies aut differentias, tum ab ipſarum eſſentiâ, figurâ, oſſium parte, tum deniquè ab accidentibus deſumendas ſtabilierunt Chirurgiæ Antiſtites.

TIBIA & fibula, vel ſimul, vel ſeparatim, in eodem diverſisve punctis, cum aut ſine accidentibus effranguntur; hinc in ſimplicem, compoſitam & complicatam dividi ſolet fractura.

MODÒ tranſversè, modò obliquè, modò partim obliquè, partim tranſversè, quandoquè etiam comminutim, & juxta quoſdam fiſſuræ ad-inſtar effranguntur oſſa, indè varia ſortiuntur fracturæ nomina.

EXTERNAS fracturarum cauſas tanquam efficientes admittimus, ictus nempè, lapſus, nixus, & quæcumque oſſa diſrumpere & collidere poſſunt; internæ tamen ut remotæ & prædiſponentes apud omnes ſpectari ſolent. *

FRACTURARUM ſigna alia æquivoca, alia certa; æquivoca ex dolore & motûs impotentiâ; certa verò ex auditû, viſû & tactû, ſeorſim aut ſimul ſumpta oriri perſpicuum eſt.

IN primitiva & conſecutiva fracturarum Cruris accidentia ordinantur; primitiva in Dolore vehementi, Vulnere, & Hemorrhagiâ; conſecutiva in Convulſione, Pruritû, Febre, Inflammatione,

* Vide inter alias Obſervationem celeb. Saviardi LXII. pag. 274.

Abſceſſû, Gangrenâ, Paraliſi, Atrophiâ, Anchiloſi, Calli & partis deformitate conſiſtere neminem latet.

PROGNOSIM fracturarum, pro ſimplicitate, compoſitione, complicatione, figurâ, ſitû, ægri ætate & temperamento, plus minusve periculoſam quis non exiſtimaverit?

TRIA in fracturarum ſimplicium curationem præſertim veniunt, effracta ſcilicet adunare, adunata continere, contenta deniquè ab accidentibus ſervare; triplici modo adimpletur adunatio, extenſione nimirum, contra-extenſione, & conformatione; retentio & conſervatio partium fractarum, tum deligatione, tum ſitû ritè adhibitis; accidentia demùm artis auxilio haud infrequenter præcaveri poſſunt.

SI contrita fuerit oſſis ſubſtantia; ſi laniatæ fuerint carnoſæ partes; ſi ſanguiferi tubi liquidum vitale profundant; ſi Tumor adſit; ſi intentiſſimus dolor ægrum exagitet; ſi moroſâ prurigine pars verminet; ſi ſæviant febris & inflammatio cum apoſtematis periculo; ſi immineat gangrena; ſi Nervorum vel reſolutio, vel diſtentio ſecuta fuerit; ſi demùm ſucceſſerit Atrophia, vel Anchiloſis; tunc ritè ſanari non poterit fractura niſi unicuique accidenti congrua ſubminiſtrentur auxilia.

OSSIUM comminutioni, fragmentorum aut extractio, aut in ſtatû naturali, pro re natâ, idonea repoſitio.

AD reſarciendas Carnes, debellandaque plurima ex prædictis accidentia, faſciationem duodevigenti capitibus ordinatam ut prævalentem admittimus.

INFLAMMATIONI fotus emollientes, phlebotomia; Hemorrhagiæ compreſſio, ligatura nonnunquam & ſtiptica; Dolori & Convulſioni legitima partium reductio, venæ ſectiones; Pruritui aquoſæ & tantiſper ſpirituoſæ fomentationes; Febri tenuis vitæ ratio, venæ ſectiones; Abſceſſui haud intempeſtivus purulenti liquaminis exitus; Gangrenæ ſpirituoſa, ſcarificationes, inciſiones; Anchyloſi, ut dicunt, imperfectæ, partis blandi frequenterque repetiti motus, balnea, diluentia; Paraliſi & Atrophiæ ſtimulantes & calidæ frictiones, aquæ thermales, &c. occurrunt & adverſantur.

Si, ingravescente malo, therapeiæ inanis prorsùs evadat energia; si sphacelus Gangrenæ successerit, ad extrema recurrendum, pressiori que pede partis necrosi obviet Amputatio.

Remissis verò accidentibus, ne quid calli generationi obsit sedulò providendum; hoc pro ossis naturâ, volumine, substantiæ deperditione, ægri ætate temperamento, fracturæ sitû & figurâ, succorum indole, citiùs seriùs ve haud deforme ferruminabitur, si opportunè & ut par est appositus contentusque fuerit apparatus.

Miram autem calli fabricam succi ossis nutritii ope, ad unius cujusque canaliculi extremum guttatim & circulatim depluentis, cum Neotericis efformari contendimus.

Has positiones, Deo juvante, & præside M. FRANCISCO-MICHAELE DISDIER, Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro, *tueri conabitur Joannes Sereis Lascuriensis, Artium Liberalium Magister.*

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Sabbati 13ª. *Novembris à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam. Anno Domini* 1751.

PRO ACTU PUBLICO

Typis Delaguette Regiæ Chirurg. Academiæ Typographi 1751.